



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Casus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

beant eligi testes synodales? Respondetur affirmativè juxta formam *cap. Episcopus 35. qu. 9.* Nonum dubium, an provinciales Episcopi in Concilio provinciali sint conjudices, vel assessores? Respondetur, quòd secundum quorundam opinionem sunt judices, *c. scitote, 6. q. 3.* quidam verò dicunt, quòd sunt assessores, sed quomodocunque sit, Archiepiscopus in Con. provinciali tenetur adhibere consilium, sive assensum omnium, seu majoris partis, Sylv. *loc. cit.* §. 8, quod dictum est Episcopos suffraganeos non posse cognoscere de causis Metropolitanis in Concilio provinciali, intellige, quando Episcopi vellent cognoscere de causis gravioribus, vel criminalibus, quia hoc est reservatum summo Pontifici, *fac. Con. Trident. sess. 24. c. 5. de reform.* secus verò; quando totum Concilium vellet cognoscere de causis Metropolitanis, quia illud unitè posset. Ratio est, quia ipse Metropolitanus tanquam unus de Concilio, subest ei, potest ab eodem excommunicari, & ab ipso Archiepiscopo appellatur ad Con. Paul. de Eleazaris, & Cardinalis in *Clem. 1. §. quod etiam, de sent. excom. Navar. consi. 6. de majorit. §. obed.*

Ad Sextum. Tempus congruum est magis post octavam Paschatis Resurrectionis, & sic vidi Beneventi bis, Neap. & Surrenti semel observari, sed *fac. Con. Trid. loc. cit.* illud relinquit arbitrarium pro tempore commodiori, & more provinciarum, Con. Arlat. *can. 18.*

Ad Septimum. Archiepiscopus, vel eo impedito legitimè, Episcopus antiquior, Con. Trident. *loc. cit.* sed non E-

piscopus exemptus, qui semel eligit, quamvis sedeat super omnes, & in promotione sit antiquior, ita *fac. Congreg. declarat. 317.*

Ad Octavum. Respondetur affirmativè in utroque, Boer. *decis. 269. lib. 3.* quia paria sunt, recusatio, & appellatio, sed hoc fallit in Concilio generali, seu Oecumenico. idem ibidem Abb. in *cap. in singulis, numero 6. de statu monach. & Navar. conclus. 2. de appellat.* dicit tunc appellandum esse vel ad Papam, vel ad Concilium generale.

Ad nonum. Videtur quòd Concilium Melivitan. *c. 9. §. 10.* & Con. Constantinopol. VIII. generale, *act. 10. Can. 17.* imò Episcopus non potest congregare Synodum absque consilio Capit. Inno. in *cap. nisi, de auctor. §. usus pal. Caputaqu. decis. 305. par. 1.*

Ad Decimum. Vide Abb. in *c. §. si membra, num. 1. §. 3. de his qua fiunt à pralat.*

CASUS.

CAsus, in quibus locorum Ordinarii possunt procedere, nedum contra clericos, licet sint alterius jurisdictionis, & Regulares, sed etiam contra laicos, & ut facili calle procedant, eos sub Alphabetica serie volui collocare, tangendo practicabiliora.

Apostata à fide primò potest puniri ab Ordinario, quoniam est vel hæreticus, vel species hæresis, Alphon. de Cast. *lib. 1. c. 7. de justa Apostasia, §. heret. puni. §. l. 1. contra hæreses, cap. nono;* & quis dicatur Apostata à fide, vide Sylv. in *ver.*

O

Apo-

Apostasia, §. primo, num. 4. quia est ille, qui in totum recedit à fide, ut renegati, vide Peng. in *Com.* 24. *super quest.* 9. in 1. par. *Direct.* *Inquisit.* & dicam *inferius in ver. renegatus*, vide Cajet. in *summa in verbo, Apostasia, in principio*. Secundo, Apostata à religione potest etiam puniri ab Ordinario, quia est excommunicatus, Cajet. *loco citat.* & tanto magis si per annum perseverat in tali excommunicatione, ut dicam *inferius in ver. excommunicatio*. & isti Apostatæ à fide sunt Bullæ Cæsaræ Domini in 2. *class.*

Alchimiſtæ, *Direct.* *Inquisit.* 3. par. *cap. de signis Necromant.* & heret. & ibi Peng. *Com.* 26. vide *Extravag. unicam, sub tit. de crimine falsi*, & Abb. in *cap. 2. n. 8. & de sortulog.*

Adoratores dæmonum. *gloss. in cap. accusatus, §. sanè, in ver. saperet, de heret. libro 6.* Artem notoriam exercentes, ita in Indice librorum prohibitorum impresso Romæ, anno 1596. in litera N. Astrologiæ Indiciariæ, divinationum, & sortilegiorum libros retinentes, Index *loc. cit.* observatio circa nonam regulam per Bullam Sixti N. sub datum Romæ apud sanct. Petrum, anno 1585. Nonis Januarii, Pontificatus sui anno primo, ubi excipiuntur observationes, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ ætatis juvandæ gratia conscriptæ sunt, ita in *regula 9. Indicis.*

Blasphemias hæreticales, ut sunt omnes blasphemias directè, sive indirectè contra articulos fidei, ut dicere *puttana de la Madonna*, quia est contra articulum, ex Maria Virgine, *cornuto chi crede à Dio*, est contra primum articulum, Credo in

Deum, & similia, *Direct.* *Inquisit.* 2. *parte quest.* 41. ubi concludit, hos debere adjurare, etiam si colore iracundiæ, etiam si in ludo ita blasphemarint; quod probat ex multis Indiciæ *Inquisit. ver. Blasphemia. num. 66.* quicquid dicat *ibidem num. 61.* Peng. *Schol.* 48. in *secunda par. Direct.* *Inquisit.* Sym. de *Cath. institut. tit. 8. num. 2.* Castro *loc. cit. c. 12.* & qui profert verba hæreticalia in ludo, vel facetiis, ponitur prout suspectus de hæresi, Symanca *loc. cit. tit. 117. num. 22.* & 23. & potest puniri pœna pecuniaria, & erogando locis piis, Peng. *Com.* 17. in 3. *parte Direct.* & 152. col. 1. eodem loc. & hic casus accidit mihi in factò, & castigavi eum, qui dixerat in ludo (*malanno habbia Dio, & tutta la croce de Cielo, & cornuto chince crede*) ista blasphemia hæreticalis non solum potest fieri verbis, sed factis, ut si quis deturparet sacras imagines, & dicam *inferius in verb. imagines.* Castrenf. *loco citat.* & verba hæreticalia manifesta sunt ea, quæ vel sunt contra articulos fidei, vel contra Ecclesiæ determinationem, vel contra Sacramenta, vel sacram Scripturam, divus Thom. 2. 2. q. *quest.* 11. *artic. 2.* *Director. Inquisitor. secunda parte, quest.* 2. Peng. *ibi in Com. Canus lib. 12. c. 17. locorum Theolog.* Vide Boer. *decif.* 301. & Navar. *conf.* 2.

Baptizans mortuum ea forma quæ vivum, habetur pro hæretico, similiter rebaptizans pueros, Cast. *loc. cit. c. 13.*

Baptizans imagines ad fortilegia, Gril. *libro 2. c. 2. numero 27.* Peng. *Con.* 67. in q. 42. 2. p. *Direct.* *Inquisit.* litera C. ubi dicit sapere hæresim manifestè. Locatus

loco

loc. cit. in vers. heretici, num. 31. casu 12. f. 449. Grill. loc. cit. c. 10. n. 14. Sylv. Strig. lib. 3. c. 1. punct. 2.

Campanarum spretores, *Clem. unica, de Jud. & Sarrac.* & hic casus accidit mihi in facto, dum quidam nocte Sabbati sancti abstulissent martellos à quibusdā Campanis, illos appendendo in arbore nucis, & quia visū fuit hoc factū fuisse in contēptū cāpanarū, eis post carcerationem facta abjuratiōe, fuit imposta pœnitentia salutaris in Ecclesia. Ratio est, quia usus campanarum est magna pars ecclesiasticarum cæremoniarum, cū sint tubæ Dei, & in locum tubarum veteris Testamenti successerunt, & multa mytheria significant, *Speculator lib. 1. tit. de campa. Selva tract. de benef. 1. par. tit. 5. num. 82. & infra, & ad quid deseruiant campanæ, vide Abb. Joan. Andr. & alios, in cap. de offic. custo. Maran. 6. par. tit. de ciuit. num. 114. Rebuff. pract. benef. tit. de miss. in possess. numero 32. & campanarum despectio, siue contemptus, est unus de erroribus Turcarum, ut patet in *d. Clem. & per extensum, de error. Turcarum & Sarrac.* Vidi Direct. Inquisitorum, 2. par. quæst. 10. & 21. & ibi Com. Peng. com. 45.*

Celebrantes super rebus aptis ad faciendum sortilegia, adhibitis nefariis precibus & verbis superstitiosis, *Diaz pract. crim. can. cap. 23. & Grill. lib. 2. de sortileg. q. 14. & num. 23.*

Cædulonum excommunicationum, quibus declarantur aliqui excommunicati deturpatores, sunt suspecti de hæresi, ita in facto dicit decisum Romæ circa factum Archiepiscopi Salernitani, Peng.

com. 24. sup. 3. p. Direct. Inquisit.

Carnes comedentes diebus prohibitis, est externum signum hæreseos, quod suspicionem malæ credentiæ parit, *Peng. com. 24. in 3. par. Direct. Inquisit. Zanchinus de heret. cap. 35. num. 2. & ibi Campegius. Felin. in c. ad abolendam, nummer. 2. de heret. Direct. Inquisit. 3. part. capit. de sign. exter. Judaizantium, Symanc. loc. cit. cap. 10. num. ult. ubi dicit sapere hæresim Lutheranorum, capite de usu, et 2. de consecratione distinct. 3.*

Confessionem omittentes, & sacramta communionem semel in anno, *per c. omnis utriusque sexus de pen. & remiss.* quia est in signum hæresis, & malæ credentiæ; *Peng. com. 24. in 2. par. Direct. Inquisit. Zanch. tract. de heret. cap. 35. n. 2. Fel. c. 2. de heret. Cabalistarum omnes, ita in Regula de Thalmud. & libris Hebraeorum Indicus præfati lib. prohib. Romæ impressi.*

Dæmones expressè, vel tacitè invocantes, *Symanc. loc. cit. tit. 63. numer. 11. & 12. Bar. Spineus in Apolog. 3. de Strig. cap. ult. D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 4. in corpore, & in expressa invocatione vel pacto adest idololatria, Syman. & Spin. loc. citat. & subsunt Bullæ Cœnæ Domini, in 1. claus. Sylv. tract. de Strig. libro 3. capite 1. Cast. libro 1. cap. 15. quia invocare dæmonem causat idololatriam. Locat. in ver. Apostasia, numero 9. Spin. quamvis non semper petere futura à dæmone, sapiat hæresim, quia naturalia futura potest scire, Peng. Schol. 50. super 2. par. Direct. Castro loc. cit. cap. 13. gl. in c. accusatus, & in cap. illud, 26. q. 2. Direct. Inquisit. 2. p. q. 43. Locat. in ver. Apostasia, n. 9. & Abb. in c. 1. in 4. de fort.*

Dubii in fide, id est, qui pertinaciter ita insistant dubitationi, quod non sint parati corrigi ad mandatum superioris, sunt hæretici. *c. 1. de hæret. Sylvest. in ver. hæresis, infr. num. sexto, §. 3.*

Dæmonem dicentes se tenere inclusum in phiala seu in annulo, decipiuntur, cum ipsi dæmones potius includant delictorum catena miseros homines, quàm è contra. Ratio est, quia cum sint spiritus, non possunt loco corporeo contineri, Symanc. *loc. cit. tit. 64. n. 3. D. Aug. lib. 21. c. 6. de civ. Dei, Peng. Schol. 50. sup. 2. p. Direct.* & possunt puniri suspecti de hæresi, quia intervenit invocatio sive pactum expressum, ut sup. *Sylv. l. 2. c. 7. punct. de Strig.* licet interdum patiatur se includi, vel ita fingat, ut sic persuadeat miseris personis, ad eas facilius decipiendū vel coguntur à dæmonibus superioribus inferiores dæmones includi, ut credentes facilius opprimantur: vel, quia sunt cupidi honoris divini, & sponte intrant in aliquas statuas Deorum.

Dæmonem invocare ad tentandā pudicitiam mulieris, si sit verbis deprecativis, sapit hæresim, *Peng. Schol. 50. in 2. par. Direct.*

Dæmonem invocare potest fieri tacite, & expressè. *Sym. loc. cit. tit. 30. n. 15. §. tit. 64. n. 12. Sylv. loc. cit. Cal. lib. 1. c. 14. à dæmonibus expectare responsa, hæreticum est. Sixt. IV. Bull. 2. quæ incipit. Nunciatum est nobis.*

Disputantes laici publicè, vel privatim de fide, possunt excommunicari ab Ordinario, *c. 2. §. inhibemus, de hæret. libro 6, Castro loco citat. libro 1. capit. 19.*

Excommunicati per annum, dico primò, si qui per annum permanerint in excommunicatione, sunt suspecti de hæresi, *Con. Trid. sess. 25. c. 3. in fine de reform. etiam si sunt citati pro alia quacunque causa, & fuerint contumaces, ob quam excommunicationem per annum steterint, Maranta 6. part. memb. 2. numero 33. & Direct. Inquisit. 2. p. quest. 47.* dicit posse citari, responsuri de fide, *Abb. in cap. grave, de pœnitent. §. remission. & ibi gloss. in ver. hæretica. Rebuff. in pract. benefi. in declarat. nova provif. numer. 10. in claus. regue.* Secundò, citatus responsurus in causa fidei, & sic contumaciter per annum perseverans in excommunicatione, habetur pro hæretico, *dicto è grave, §. c. cum contumacia, de hæret. lib. 6. §. cap. excommunicamus, §. qui autem.* ex eodem *Sylvest. de Strig. lib. 3. c. 4. puncto 8. §. in ver. hæresis, 1. §. 8. Direct. Inquisit. 3. p. q. 123. vide Iser. in rubr. de statut. §. consuetud. & c. 6. 1. ver. per annu, n. 10.* Tertio, qui pro alio crimine citatus, effectus contumax, & consequenter per annum permanerit in excommunicatione, ad quid debet condemnari, *§. 5. quærit.* Respondetur, non ut hæreticus, sed pro illo delicto, pro quo fuit excommunicatus, quia perseverans in excommunicatione, habetur pro confesso, *Abb. in d. excommunicamus, col. 2. Gril. lib. 1. c. 8. num. ultim. de hæret. Covar. in c. alma mater. 1. p. §. 7. n. 10. ver. 4.* Quarto, qui citatus in causa fidei, stetit per annum in excommunicatione, elapso anno, potest ei indici, & imponi purgatio Canonica, quam si recusaret, & permaneret in excommunicatione, tunc sicut impœnitens, per

tinax,

tinax, & hæreticus potest condemnari, Symancas *loc. cit. tit. 27. n. 40.* quamvis etiam in primo casu dicant Joan. Andr. & Innoc. *in c. ult. de pœn.* & Covar. *loc. cit.* posse imponi purgationem canonicam, Abb. *in cap. grave, num. 3. § 7. de pœn.* Quintò, perseverans in excommunicatione, etiam non per annum, potest puniri pœna temporali, Anan. & Felin. *in cap. postulasti, de homic.* & Covar. *loc. cit.* Direct. Inquisit. 2. *par. 9. 47. num. 6.* Symanc. *loc. cit. tit. 27. num. 6.* Sextò, qui per quatuor menses, vel per annum perseverat in excommunicatione, non gaudet clausula absolutionis ad effectum, Rebuff. *ubi supra in declarat. nova provis. lib. 10.* Septimò, qui per annum perseveravit in excommunicatione, possunt ejus bona publicari; Iler. *in rubr. de statut. & consuetud. §. ad decus, &c.* Octavò, privari etiam potest beneficiis, quæ prius habebat, Abb. *in c. postulasti, n. 4. de cler. excom. celebr. gl. in c. si. in ver. hæretica, de pœnis.* Navar. *conf. 11. de decret. exemplificat in excommunicato propter existentem rationem, prout in Extrayag. de sepultur. & consilio 7. exemplificat, debitore excommunicato, is qui perseverat per annum in excommunicatione, Episcopi jussu à Judice laico, & Curia sæculari potest capi ut suspectus de hæresi, quòd si nolit capere eum iudex laicus, esset excommunicatus, Nav. consilio 14. de heret. & conf. 21. eod. tit. ampliat, etiam si non fuisset denunciatus excommunicatus, quia sufficit ad hoc ut sit excommunicatus absque denunciatione, quia denunciatio facta est propter participantes, non propter ipsum ex-*

communicatum, tamen *in consil. 3. de reb. Eccles. non alien.* dicit, quòd perseverans per annum in excommunicatione, ad hoc, ut sit suspectus de hæresi, requiritur quòd post monitionem de resipiscendo, in ea sic permanferit, adeò quòd requiritur & annus, & monitio, aliàs sic non censetur, per *c. odia, de reg. jur. lib. 6.*

Eucharistia abutentes in sortilegiis, sunt suspecti de hæresi, quicquid dicat Gril. *lib. 2. c. 10. num. 4. de sortileg.* nam hoc clarè asserit *gl. cit. in §. sanè.* Castro *lib. 1. c. 15.* vide Anchar. *in d. §. sanè, nu. 2.*

Expectare responsa à dæmonibus hæreticum est, *Bulla Sixti III. edita anno 1473.*

Fascinatio, vide *in ver. Fascinatio.*

Fumigationes, vel thura offerens dæmonibus, est hæreticus, *glos. in d. §. sanè. in ver. sapient.* Castro *lib. 1. cap. 13.*

Fautores hæreticorum qui dicantur, & qui receptatores, & qui defensores, vide *Castro loc. cit. cap. 17.* & subsunt Bullæ Cœnæ Domini, juxta notata per Navar. *cap. 23. num. 53. & 54.* Cajetan. *in sum. in ver. excommunicatio, c. 1. & Cast. loc. cit.*

Falsum deponentes coram Judice Ecclesiastico, ab illo debent puniri, sive laici sive clerici, sive regulares, *l. nullum, C. de testib. Covar. pract. 99. capit. 18. column. penult. & ultim. Boss. tit. de fals. num. 100. D. Anton. 3. par. tit. 9. c. 7. §. 2. juxta finem.* Sylvest. *in ver. inquisitio, 1. num. 4. vers. secunda, Maran. 6. par. actor. 12. num. 3.* Vide Afflict. *decis. 219.*

Facientes brevia cum characteribus, seu literis ignotis, Sylvest. *in ver. superstitio, §. 16. Angel. eodem, ver. num. 1. & 7.*

Armil. in ver. sacrilegium, num. 3. Cajet. in sum. ver. superstitio, 2. Alten. lib. 1. tit. 15. quest. 2. idem de dicentibus seu recitantibus quasdam orationes pro sanandis infirmis, Navarr. de Hor. canon. cap. 6. n. 46. Malleus malef. 1. 2. q. 1. c. 16. fol. 279.

Heretici, vide in ver. Heretici.

Hostiam non consecratam pro consecrata lumentes, vide Ancharan. in dicto §. sanè, num. 2.

Imagines sacras deturpare vel conspuere, blasphemia est hæreticalis, actu similiter fustigare, vel conculcare eas. Cast. lib. 1. cap. 12. §. c. 1. §. cap. 15. in fi. Symanc. loco cit. 33. à num. 17. §. infra. Boer. dec. 301. n. 15. §. 16. infra, vide Iler. in c. de stat. §. consuetud. conc. n. 28. vel percutere, & hoc accidit Neapoli in factis de mense Januarii, 1592. ubi quidam miser percussit pugione imaginem Deiparæ, & fuit per judicem laicum manu truncatus, & ultimo supplicio condemnatus. Similiter, absque eo quod fiat animo malæ credentiæ, grave delictum est tractare irreverenter sacras imagines. Gè. in c. si canonici, §. si. in prin. de offi. ord. lib. 6.

Imagines cereas, vel hujusmodi fabricantes, quibus malefaciunt personis, ut intimis puncturis eas crucient, sapiunt etiam hæresim, Cast. loc. cit. Symanc. tit. 30 n. 18. Anch. in d. §. sanè, capit. accusans, n. 2.

Inquisitores possunt procedere contra maleficos & incantatores, & superstitionum observatores, Alex. VI. Bulla 12. fol. 148. Adr. VI. Bulla 5. fol. 277. similiter contra Astrologos judicarios, Bulla Sixti V. edita anno 1586.

Impediens ne inquisitor, seu Ordinarius fabricet processum contra inquisi-

tum hæreticum, est excommunicatus, & potest puniri ut hæreticus, capitul. inquisitores, de hæretic. libro sexto.

Incantatores, seu ciaraldi, Ang. in ver. superstitio, n. 8. D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. ad secundum, Navar. c. 2. n. 36. §. pono, ubi dicit, posse permitti quoad sanandum alios, quod debet intelligi, quando sine superstitione incantatores, seu malefici, & vanarum superstitionum observatores puniuntur ab Inquisitoribus, Alex. VI. Bulla 12. quæ incipit, Cum accepserimus.

Libros prohibitos habentes, vel tenentes, si sunt hæreticorum, hæresim continent, vel de religione tractantes, subsunt Bullæ Cœnæ Domini in prima clausula, & potest inquiri contra eos tanquam suspectos de hæresi; Bulla Pii IV. posita in Indice libr. prob. & sunt excommunicati ultra Bullam, per reg. decimam Indici, in ult. & alia Bulla quæ est 98. fol. 282. Peng. comm. 3. in secundum par. Director. Inquisitor. & etiam libros continentes sortilegia, veneficia, augurie, auspicia, incantationes artis magicæ, Index regula 9.

Laici officiales Episcopi possunt puniri ab ipsomet Episcopo, vel ejus Officiali si deliquerint in officio, Boer. decif. 9. n. 7. 8. & idem quoad eos, qui sunt de familia ipsius Episcopi, si deliquerint, idem ibid. quod probat multis Doct. & jurib.

Laici laborantes, vel officinas, seu apothecas aperientes diebus festis de præcepto, vel asportantes bestias oneratas, vel opus servile publicè & notabile facientes, c. 1. cum seq. de ser. & per universalem

verſatē quaſi conſuetudinē, tamen cum temperamento, prout in *ver. feſta, inferius, §. 2. circa pœnas contraſacientium exigendas.*

Maleficia, ubi interficiunt Sacramenta, vel ſacramentalia, faciunt violentam hæreſis ſuſpicionem, Caſtro *l. i. c. 15.*

Matrimonium contrahentes, cum ſint vel voto ſolenni adſtricti, vel in ſacro ordine conſtituti, ultra excommunicationem, quam incurtunt ipſo jure, *Clem. 1. de conſangu. & affin. Caſtro loco cit. cap. 1. Symmanc. tit. 50. n. 9. Diaz pract. crim. Can. c. 74. Abb. in c. de Homine, n. 7. de celeb. miſſ.*

Maleficia per capillos, ferramenta, clavos, lapides, ſulphur, & alia hujusmodi, quæ evomuntur ab ore maleficorū, fiunt arte dæmonis, & ſapiunt hæreſim, *Grill. lib. 2. c. 3. à num. 20.*

Necromantæ, Geomantæ, Aero-
mantæ, Pyromantæ, & Chiromantæ, quia ſæpè arte dæmonum utuntur, poſſunt puniri ut ſuſpecti, & ſi non ut ſic, ſubſunt juridiſtioni Ordinariorum, Caſtro *loc. cit. cap. 13. §. 15.* ita etiam Divinatores, Aruſpices, Arioli, & ſimilia facientes, ita in *regula nona Indicis prædict.*

Pocula amatoria, ſi interveniunt Sacramenta, & Sacramentalia, faciunt ſuſpicionem de hæreſi, Penga *Schol. 50. in 2. par. Direct. Inquiſit. Gril. de ſortileg. lib. 2. queſt. 12. num. 2. & infra, Caſtro loco cit. c. 15. circa finem. Locat. in ver. Apoſtaſia, n. 6. & ubi non miſcentur ſacra profanis, potiùs ſunt ſuperſtitioſa, quàm hæretica, Symanc. loc. cit. tit. 30. n. 18. ſimiliter, qui pocula præparant ad abortus mulierum procurandos, *Gril. loco cit.**

& quomodo puniantur in regno, vide *Conſtitut. Regni, Amatoria, & c. tit. de pocul. amator.*

Quæſtores, cujuſcunque conditionis ſint, poſſunt puniri, & cognoſci ab Ordinariis, *Conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 2. in ult. de reſor. & ſeſſ. 21. c. ult. de reſor.* ſed de hoc dicam in *ver. Quæſtiones.*

Renegati, qui & Apoſtatæ dici poſſunt, ſubſunt foro eceleſiaſtico ut Apoſtatæ, Caſtro *loc. cit.* tamen cum redeuntibus ad Ecceſiæ unitatem quomodo ſit agendum, vide eund. *lib. 1. cap. 23.* ſed diſtinguere oportet, & poteſt eſſe caſus pract. cabilis, maximè in terris maritimis, ubi capiuntur ſæpè Chriſtiani à Turcis, & Mauris, & interdum coguntur abnegare fidem, poſtea revertuntur, vel quia fugiunt, vel redimuntur, & hinc petitur, an poſſint abſolvi à ſuis Ordinariis, & videtur quòd non, quia ſubſūt primæ clauſulæ Bullæ Cœnæ Domini, tamen ſi hoc faciunt timore mortis, cadente in conſtantem virum, nec ſpontè, nec ex animo, ſed tantummodo exteriùs, tunc non ſunt excommunicati, nec hæretici, & ſic ab Ordinariis abſolvi poſſunt, *Sylv. in ver. Apoſtaſia, n. 4. §. 1. Aſten. lib. 2. tit. 19. q. 50. licet Direct. Inquiſit. 3. p. 9. 41. n. 8. dicat non excuſare metum, tamen Penga ibi, Com. 66. litera C. dicit, quòd ſic, Sylveſt. in ver. hæreſis, num. 9. §. 6.*

Speculum: ſi inſpiciatur à puella, vel phiala à puero dicente aliqua verba, pro inveniendis furtis, vel ad ſcienda ſecreta, ſapit hæreſim manifeſtè. *Inquiſit. in ver. divinatio, n. ult. Barbat. conf. 55. in 1. vol.*

Supplicationes facientes ad ſanandum morbos, additis aliquibus verbis, etiam Ave

Ave Maria, & Pater noster, miscendo aliqua superstitiosa, puniri possunt ab Ordinariis, Gril. lib. 2. c. 6. nu. 18. Cajet. in sum. in ver. Incantatio, in ult. canon. non observetis. 26. q. 7. canon. illud, 26. q. 2. Symanc. tit. 63. n. 19. 24. & 33. Penga Com. 67. in 2. par. Direct. super q. 42. littera C.

Sortilegi, & malefici, licet non sint sub jurisdictione Inquisitorum, tamen subsunt jurisdictioni ordinariorum, Castro loc. cit. capit. 13. & 15. & Abb. in cap. 1. num. 4. de sortileg.

Suspecti de heresi quinam dicantur, vide Penga Com. 24. super 3. par. direct. Inquisit. & Symanc. tit. 50. num. 24. & 30. ut afficientes contumeliosos, vel eos verberantes, male sentientes de caeremoniis ecclesiasticis, & ritibus, contemnentes censuras ecclesiasticas, perjurii, incestuosi cum consanguineis, & affinis, commatibus, monialibus, & aliis. Hoc debet intelligi, vel cum aliis adminiculis, vel de levi suspitione, & imponitur his abjuratio. Symanc. tit. 10. & tit. 1. num. 21. Penga Com. 4. in 3. par. Direct. & Com. 24. & Com. 49. super q. 34. in 2. par. direct. & Comm. 67. ibidem, & Castro libro 1. gloss. in §. sanè, & omnis præcisus ab Ecclesia, capit. 24. quest. 1.

Sacramentis, vel sacramentalibus abutentes. Gril. lib. 2. c. 3. n. 16. Symanc. & Penga loc. cit.

Superstitiosi sortilegi omnes possunt puniri ab Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, Symanc. & Castro loc. cit.

Strigæ, seu Lamie subsunt Inquisitoribus & locorum Ordinariis, Sylvest. in toto opere de Strig. & in sum. in ver. hæ-

resis 3. & Barthol. Spin. in apolog. 1. de hac materia, Gril. Castro lib. 1. c. 16. per totum. Adrian. VI. Bulla 5. qua incipit, Dudum.

Thesaurum quærentes artibus magicis, & sceleratis, Inemo, C. de malef. & mathem. Iser. de usu feud. Rebuff. quæ sunt regalia, num. 90.

Uras negantes esse peccatum, Castro lib. 24. c. ult.

Utentes Eucharistia tam in corpore quam in sanguine Domini nostri, fumigationibus ipsum dæmonem colentes, rebaptizantes pueros maleficiis, ubi interveniunt hæretici, vel opus aliquot dæmonum procurantes scientiam ad sciendum secreta cordis, & ad sciendum futura, quæ naturali via sciri nequeunt, consulentes dæmones, & alia hujusmodi facientes, d. gl. in §. sanè, Locat. in ver. Divinatio, num. 4. Gril. 2. fol. 52. colum. 3. Castro lib. 1. c. 15.

Multos alios casus, quibus Judex ecclesiasticus possit procedere contra laicos, vide apud Innoc. in cap. licet de foro competen. quamvis multi ex his recesserint ab aula, per contrariam consuetudinem. Thalmudistæ omnes, ita Index loc. cit. testamentum vetus, vel novum legentes, vel tenentes lingua vernacula, sive vulgari, nec possunt Episcopi, & Inquisitores hanc dare licentiam; ita Index loc. cit. observatione circa quartam regulam.

CONSUE TUDO.

PRImò, introducitur tempore, quod non habet memoriam in contrarium, Secundo,